

monstrauit, & quòd ex eo nulla sit causa, simile quid etiã de Copernicanis hypothesibus suspicandi. Quin potius manet, quòd initio dictum est: non posse falsa esse Copernici principia, ex quibus tam constans plurimorum *φαινομένων* ratio, ignota veteribus, reddatur, quatenus ex illis redditur. Vidit hoc felicissimus ille Tycho Brahe, astronomus omni celebratione maior, qui quamuis omnino de loco terræ à Copernico dissentiret, tamen ex eo retinuit id, cuius gratia rerum hæctenus incognitarum causas habemus: Solem nempe esse Centrum quinque planetarum. Nam & hoc angustius est medium ad demonstrandas repedationes est: Tò Sol in centro immobilis. Sufficit enim generale illud, Sol in centro Planetarum quinque. Cur autem speciem pro genere sumeret Copernicus, & Solem in super in centro mundi, terram circa eum mobilem faceret: aliæ causæ fuerunt. Nam vt ex Astronomia ad Physicam, siue Cosmographiam deueniam, hæ Copernici hypotheses non solum in Naturam rerum non peccant, sed illam multò magis iuuant. Amat illa simplicitatem, amat vnitatem. Nunquam in ipsa quicquam ociosum aut superfluum extitit: at sæpiùs vna res multis ab illa destinatur effectibus. Atqui penes vsitatas hypotheses orbium fingendorum finis nullus est: penes Copernicum plurimi motus ex paucissimis sequuntur orbibus. Vt interim taceam penetrationem orbium Veneris & Mercurij, & alia, quibus antiqua Astronomia in tanta orbium fingendorum libertate etiamnum laborat. Atque sic Vir iste non tantum Naturam onerosa illa & inutili suppellectili tot immensorum orbium liberauit: sed insuper etiam inexhaustum nobis thesaurum aperuit diuinissimorum ratiociniorum, de totius Mundi, omniumq; corporum pulcherrima aptitudine. Neque dubito affirmare, quicquid à posteriori Copernicus collegit, & visu monstrauit, mediantibus Geometricis axiomatis, id omne vel ipso Aristotele teste, si viueret (quod frequenter optat Rheticus) à priori nullis ambagibus demonstrari posse. Verum de his omnibus fusiùs & pro dignitate pridem egit Rhetici narratio, & Copernicus ipse: & si quid copiosiùs explicari potest, aliud id loci & temporis erit, nunc attigisse sufficit: vt ea mentione constaret lectori altera causa, quæ me in Copernici partes pertraxerit.

Neque